

039

037

043

033

048

028

088

138

538

Ende

Anfang

28

serat, de ovo egressos recolligit et magna cura nutrit. Et ideo dicitur Job: Induratur struthio ad filios suos, quasi non sint sui. Et Threnor. IV.: Fiunt populi mei crudeles, quasi struthio in deserto; nam in desertis locis sunt, ut patet Jesaiae 13. et 34.

De hoc in aliam habitationem nos induxit et ibi in caveis pendentibus erant pulcherrimi psittaci, mira humanitate se nobis ostendentes, nam communes sunt in illis regionibus illae aves, quia de littoribus indici maris, in quibus gignuntur, ducuntur in Aegyptum. Est autem psittacus avis nobilis, quam veterum error tradit fuisse hominem. Erat enim temporibus Moysi in Thessalia vir Psittacus, prudentissimus, Deucalionis et Pyrrhae filius; hic ad Aethiopes abiit, ubi in maxima veneratione habitus, cum in longissimum evasisset, oravit, ut rebus subtraheretur humanis, cuius precibus dii faciles eum in avem sui nominis mutaverunt et inde omnes psittaci sunt geniti, nec alibi in mundo reperiuntur, nisi in locis, ubi Psittacus regnavit. Haec avis est viridis coloris tota, torque tamen puniceo collum habet ornatum, (84 a) grandem habet linguam et latam, unde articulata verba exprimit, ita, ut si eam non videris hominem locutum putes, loquitur autem muliebriter. Ex natura autem imperatores salutat, dicens: Chere, ave. Sed caetera verba dicit instructione, unde quidam sub persona psittaci dicit:

Psittacus a vobis aliorum nomina disco;  
Hoc per me didici dicere: Caesar ave.

Rostri ejus tanta est duritia, ut cum e sublimi praecipitatur in saxum, nisu se oris excipiat. Caput vero habet tam validum, quod non sentit, nisi virga ferrea percutiatur, unde, quando instruitur ad loquendum, virga ferrea caput ejus caeditur. Avis luxuriosa est et vino inebriatricur, quod libenter bibt et se ipsam pede cibat, sicut homo manu; aquas omnes sustinet, sed pluvia perfusa moritur. Est mirae calliditatis ad excitandum hominum risum. Domesticos sibi deosculatur, nonnumquam tamen osculum simulando morsum rostro tribuit; hoc enim mihi in navi super mare contigit, in qua juxta me pendebat psittacus, mihi factus familiarissimus, qui etiam aliqua teutonica verba a me didicit, quadam vice gestibus petivit osculum a me, dum autem sibi vulturn praebarem, arripuit rostro suo unco nasum meum et graviter me vulneravit. Eadem bestia didicerat a me quaedam verba ale-

